

DISSERTATIO ACADEMICA
DE
DIVISIONE JUDICIORUM
EX RESPECTU QUALITATIS
ORIUNDA;

QUAM

Venia Ampl. Fac. Philos. in Imp. Acad. Ab.

PRÆSIDE

GABRIELE PALANDER,

Philos. Theor. Prof. P. & O.

PRO GRADU PHILOSOPHICO

P. P.

IVARUS UDALRICUS WALLENIUS,

Ad Bibliothecam Acad. Amanuensis E. O.

Stip. Publ., Borea-Tenno.

In Audit. Juridico die XXI Junii MDCCCXV.

Horis a. m. consuetis.

ABOÆ, TYPIS FRENCKELLIANIS,

DISPERSED TO ADAMANT

DIVISION OF THE

BY REPORT OF THE

OF THE

OF THE

THE

THE

THE

THE

THE

THE

THE

THE

THE



Quicumque in perficienda Logices disciplina post paternas ARISTOTELIS curas præclare sunt versati, eorum a consiliis adeo fuit alienum materiem huic arti subjectam accumulare, ut ea præcipua emineant laude, quod scientiam alienæ opis minime indigam adventitiis, quæ in eam irrepserit, nativarum conformationi partium officientibus, exonerare subsidiis haud neglexerint: in sua nimirum arte id esse summum rati, ut ipsa cogitandi forma, ab omni affectionum, materiam cognoscendi concomitantium, varietate accuratissime distincta, certis minimeque vagis contineretur limitibus. Quorum industria quamvis multa eademque egregia præstiterit, haud parum tamen abesse, ut omnes expleverit numeros, abunde probant oborta inter artis magistros de genuina vi formarum logicarum dissidia. Sic apud BARDILIUM ^{a)} in maxima sunt offensa tum tria a veteribus usurpata iudiciorum partiendorum schemata, ex respectu videlicet *quantitatis*, *qualitatis* nec non *relationis* enata, tum quartum illud, quod addidit KANTIUS, *modalitatis* titulo ornatum. Quippe hæc discrimina ab ipsa cogitandi forma

A

alie-

a) *Grundriss der Ersten Logik von C. G. BARDILI, Stuttgart 1800.*

alienissima reputans, eorum in cogitandi disciplina nul-
lum admitti posse, sed tantummodo in dignoscenda, quæ
cogitando subest, materia valere usum adseverat. Qui
vero secus sentiunt, ita distrahuntur, ut nec universi in-
ter se consentiant, nec singuli ita disputent, ut constare
sibi posse videantur. Cetera ut omittamus, in illa mane-
bimus, quæ ex respectu *qualitatis* judiciorum pendet,
partitione, qua duo ponuntur judiciorum genera, unum
affirmativum, alterum *negativum*. De cujus divisionis vel
fundamento vel adplicatione non omnibus eadem pro-
bantur. Quia vero in loco tam domestico haud minoris
est turpitudinis ambigere in divortio, quam per opinandi
temeritatem in alterutram prolabi partem, ex ista dis-
fensionum turba probabilem exquirere exitum, hominis
videtur esse non inverecundi sed tantummodo non ab-
jecte de semet sentientis. Quare, cum hic locus a nemi-
ne, ut nobis videtur, ita sit pertractatus, ut multa non
superfint hæsitandi momenta; in eodem expediendo juve-
nilium experiri virium tenuitatem in animum induximus:
innocuo conamini ita fauturum Lectorem quemque hu-
manissimum confidentes, ut, cur insumti pigeat nos la-
boris, nullas habituri simus causas.

§. 1.

Qui in necessaria cogitandi lege contineri putant fun-
damentum divisionis judiciorum in affirmativa & nega-
tiva, ita distingui hæc duo jubent genera, ut in *affirma-
tivo* nude ponatur, in *negativo* particulam negandi: *Non*
præfixam sibi habeat copula. Quod si non copulam, sed
materiam judicii afficiat negatio, quæcunque ex hoc re-
spectu, negativi speciem referentia, exsurgunt judicia, ea
affir-

affirmativo generi adscribenda, & a ceteris ita tantum, ut infinita appellentur, distinguenda censent b).

Qui hoc partiendi schema rejiciunt, ii, præunte BARDILIO c), nullam inesse in cogitandi forma affirmandi negandive optionem, quæ scilicet in delectu tantum materiæ versetur, ideoque omnem ex cogitandi arte formæ illius (negativæ scilicet), quam debiliorem appellant Dialectici, explodendum esse usum summopere adieverant.

A 2

Qui

b) Videfis J. G. C. KIESEWETTER *Grundrifs der reinen allgemeinen Logik*. Berlin 1802. *Weitere Auseinandersetzung* ad §. 106, ubi in fine hæc leguntur: "Man nennt nun die bejahenden und verneinenden Urtheile, im Gegensatz der unendlichen Urtheile, *endliche*. So sind die Urtheile: der Mensch ist sterblich; die Seele ist nicht sterblich; endliche Urtheile; das Urtheil: die Seele ist nicht-sterblich; ein unendliches Urtheil. Bei den verneinenden Urtheilen bezieht sich die Negation auf die Verbindung; bei den unendlichen auf das Prädikat. *Animus non est mortalis* (die Seele ist nicht sterblich), ist verneinend; *animus est non mortalis* (die Seele ist nicht-sterblich), limitirend oder unendlich."

c) L. c. §. 12 (pagg. 6 — 24), ubi pag. 17 hæc occurrunt verba: "Versteht man unter *Logisch*, wie bisher in allen Logiken und in den reinen insbesondere geschahe, das *Formelle des Denkens selbst*, unser *Vernunftwerk* (= A) an jedem Begriffe; so giebt es schlechterdings keine Logische Negation ausser dem Widerspruche, d. i. dem Nicht-denken. Das *Non* möchte auch herkommen, wo es wollte; so kann im Denken, als *Denken* kein Qualitätsunterschied, mithin kein *Non*, kein *Ja* oder *Nein*, statt finden." Quam illustraturus sententiam ita pergit BARDILI: "Ein *Imperativ* — und dies ist das *ganze* (nicht nur das halbe praktische), *unter dem Identites gesetzte begriffene, Denken* (A sey ewig = A) — kann nie Nicht-imperativ werden, er mag in Rücksicht auf ein Objekt gebiethen oder verbiethen."

Qui mediam ingressi sunt viam, intra generis judiciorum categorici orbem hujusce usum divisionis coercent *d*), vel ita, ut eam ex speciali propositionis categoricæ forma pendere, eamque ob causam, dum in eo genere verferis, necessariam esse reputent *e*), vel ita, ut eandem partiendi rationem ne in categorico quidem genere necessariam, attamen ita comparatam existiment, ut sine ullo errandi periculo hos intra fines, sicubi vitum fuerit, usurpari queat *f*). Quæ disensio maximam partem exinde oritur, quod alii eam condant judicii categorici definitionem, qua *qualitatis* præsumitur diversitas *g*), cete-

d) Quibus quoque adstipulatur G. M. KLEIN, qui, cum observasset quantitatis qualitatisque judiciorum respectum extra fines Logicæ formalis esse positum, hæc addit: "Nebſtdem paßt die quantitative und qualitative Beſtimmung höchſtens auf das kategorische Urtheil, nicht aber, auf das hypothetiſche und diſjunctive, indem z. B. der Qualität nach alle hypothetiſchen und diſjunctiven Urtheile affirmativ ſind, und was man auch immer darüber vorgebracht hat, iſt nicht mehr als willkührliche Imagination und eitles Wortſpiel." *Verſtandeslehre Bamberg 1810 pag. 92.*

e) Cfr. JOH. GEBH. EHRENR. MAASS *Grundriß der Logik. Halle u. Leipzig 1802 pag. 161 (ſ. 272) & pag. 174 (ſ. 239.)* nec non JOH. CHRISTOPH. HOFFBAUER *Analytik der Urtheile und Schluße mit Anmerkungen. Halle 1792. pagg. 13, 34, 145 — 152.* aliosque.

f) In qua probanda sententia præcipuus videtur nobis esse Jo. ANDR. SEGNERUS in eximio opere, quod inscribitur: *Specimen Logicæ universaliter demonstratæ. Venæ MDCCXXX.*

g) Quod si definitionem judicii negativi, quod *adfaciat negationem copula*, ultro dederis, minime tamen constat ejus, quæ jam nobis examinanda est, divisionis ratio, nisi definitioni aliquam subesse rem demonstrari possit. Concipe, si placet, triangulum rectilineum, cujus sit latus maximum semiperimetro majus. Quod si concipias, novam habes trianguli speciem, cui novum, quodeunque libet, imponas nomen, Num quid proficies? Nihil profecto. Vano enim nomini nullum subesse objectum Geometra docet.

ceteris judiciorum generibus minime congruentem, alii vero istud, de quo agitur, discrimen ex fortuita, cogitantis animum distrahente, respiciendi diversitate enatum deprehenderit.

§. 2.

Infinita est per se & informis, quæ menti objicitur repræsentationum congeries, ex qua omne, quicquid in cognitione verum est, cogitando describitur atque efformatur. Quia vero in omni re non nisi unam esse veritatem ipsa postulat æternum sibi constans omnique varietate exempta ratio, hinc, si unum esse finem cogitandi dederis, ut verum adsequare; consequitur, non nisi unam esse posse cogitandi formam. Quippe si postules, ut sint plures, hæc ut concedas equidem impetrabo: aut omnes in omni casu ad eandem veri metam collineare, aut in singulis casibus modo hanc modo illam, at minime item ceteras valere rationes. Si illud, inepta est eorum, quæ ne hilum quidem differunt, disjunctio: sin hoc, rationis expertus habetur eligendi optio infinitis nulloque pacto evitandis implicans errandi periculis. Constat igitur una eademque necessaria cogitandi forma omnes contineri veri determinationes. Quippe quæ suprema determinandi necessitas hac una absolvitur Identitatis lege ($A = A$), qua præscribitur, id ut cogites: quicquid constans est & per se perfecte determinatum, id tale esse, ut, ubicunque ponatur, cum semet ipso non possit non exæquari. Cujus præcepti vim hunc fere in modum explicamus. Si ponitur *determinatio*, ponitur & aliquid *determinabile*, per se videlicet infinitum & informe, quod cogitandi materiam componit, & *determinans* quoddam, quod subjectam sibi materiam describit & efformat, quodque per se omnino determinatum, in omni, quam determinare valet, materia unum est & idem. Ex quibus, quæ sit
ob.

objecti cogitando determinandi natura, haud difficulter concluditur. Quod si adesse ponas materiam quamvis C , per se scil. indeterminatam, proposita simul determinatione quacunq; B , hoc pacto liquet ita poni illud C , ut aut sit B , aut non sit, admisso videlicet libero retinendæ rejiciendæve determinationis hujusce B arbitrio. Si retinendam cogitaveris, adest in objecto connectens materiam copula ex identitate determinantis profecta: sin rejiciendam putas, aut indeterminabilem prorsus esse materiam postules, aut aliter ut demum cunque determinandam. At quia determinabilis est omnis cogitandi materia, si eam ponas omnino indeterminabilem, eandem, quam posuisti, tollis materiæ determinandæ potestatem. Concedas igitur necesse est in ipsa rejectione determinationis B positionem contineri oppositæ determinationis. Quam si appelles non- B , consequitur, quicquid cogites non esse B , id ipsum esse non- B , ideoque ex præstructa illa affirmandi negandive optione, quæ hac continetur formula: C aut est B aut non est, hunc enasci determinationum delectum, quo ita ponitur C , ut aut sit B aut sit non- B . Unde patet nullam mera negatione absolvi cogitationem. Etenim si est B , est certe B : sin minus, est tamen, si quid cogitas, aliquid, est nimirum aliquid ab hoc B diversum eidemque oppositum, est utique non- B , vel si de cetero, quid sit illud, describendi non supererat ratio. Nec igitur cogitandi formam immutare valet negatio, ex materiæ diversitate profecta, nec ullum esse potest copulæ materiæ connectentis deliquium. Nihil interest in forma utrum B cogites an non- B . Nempe haud secus est non- $B = non - B$ atque $B = B$.

Siccine mente casæ sunt judicandi formulæ: B non est non- B , non- B non est B ? Minime vero. Quippe eam

eam habent vim, ut designent vero repugnare, quisquis statuerit, vel B esse non- B , vel non- B esse B , ideoque indirectam continent veri ($\tau\tilde{\alpha}$: $A = A$) confessionem b), ejusdem nimirum, cujus in formulis: B est B , non- B est non- B , directa obvenit positio. Nisi enim, quæ veri sit ratio, constet, neque ullum esse potest repugnantis vero falsitatis argumentum i). Unde, quæ sit genuina vis partitionis judiciorum in affirmativa & negativa, haud difficulter perspicitur. In propositione *affirmativa* (e. gr. triangulum est trilaterum, triangulum est non-quadrilaterum), immediata inest veri perspicentia, in recessu positum involvens argumentum falsitatis sententiæ oppositæ (cujusmodi in allatis exemplis hæc sunt propositiones: triangulum est non-trilaterum, triangulum est quadrilaterum). *Negativa* vero, indirectum tantummodo continens veri respectum, in redarguenda falsitate proximè verlatur. Sic si posueris e. gr. triangulum vel non esse non-trilaterum, vel non esse quadrilaterum, perinde omnino est, ac si postulaveris a vero abhorreere propositiones hæc: triangulum est non-trilaterum, triangulum est quadrilaterum; quorum nec illud postulari potest,

h) "Man setze zwey Nullen zusammen ohne ein vorangeschicktes Eins, und sie bedeuten nichts. Man höre einen aus der grossen Nation der neuen Römer sein: Non, Non, *abgesetzt* aussprechen, und er *verdoppelt* dadurch bloß seine *Verneinung*. Wenn aber Non Non in einem Gedanken *als Gedanken*, z. B. in einem Prädikate als Gedanken (nicht als Begriff) verknüpft, mithin zur kopula eines Begriffes oder zur kategorischen Kopula gezogen werden soll: so bemerken die *Grammatiker*, es *verdopple* seine *Bejahung*. Es *setzt* wenigstens." BARDILI *l. c. pag. 21. cit. pag. 253. sqq.*

i) "Der Widerspruch wird aus der Wahrheit gebohren. Diese ist die Bedingung der Möglichkeit von jenem. Wo nichts Wahres ist, kann auch nichts widersprechendes seyn." GOTTLIEB ERNST AUG. MEHMEL *Versuch einer vollständigen analytischen Denklehre. Erlangen 1803 pag. 45. (202).*

est, nisi admiseris, triangulum esse *trilaterum*, neque hoc, nisi id saltem dederis, quod triangulum sit *non-quadrilaterum*. Illud igitur, quod affirmativam intercedit & negativam, discrimen acui quasi tetigisse nobis videbimur, si in illa immediatum s. directum, in hac mediatum s. indirectum inesse veri respectum statuerimus. Quæ ipsa, a fortuitis pendens conditionibus, respiciendi diversitas necessariam illius, quod respicitur, veri identitatem tollere haud valet. Sive enim e. gr. affirmaveris *triangulum esse non-Pentagonum*, sive negaveris *triangulum esse pentagonum*; identica adest in utroque casu trianguli determinatio. Nempe quæ in affirmativa propositione, ad cognitionem veri directa, prominet positio τῆ non-pentagoni, eadem in negativa, per rejectionem falsi expressa, recurrit k).

§. 3.

k) Quamobrem "mirum videri non debet (verbis utimur SEGNERI l. c. p. 82 obviis), si dentur linguæ, quæ vel plane non admittunt propositiones negativæ, vel earum formas aliquas respiciunt. Sic lingua Germanica propositiones particulares negativæ non format, sed earum loco affirmativis infiniti prædicati utitur. Dicitur enim pro: *Quædam triangula non sunt æquilatera: Einige Dreiecke sind nicht gleichseitig*" perinde scilicet ac pro: *Quædam triangula sunt non æquilatera*. Neque magis inter se distant hæc s. vethice loquendi exempla: några trianglar åro-icke liklidiga; några trianglar åro icke-liklidiga; quorum illud negativam, hoc autem infinite affirmativam, exprimit propositionem. Quamobrem, si quid valet illud Leibnitii: *Les langues sont le miroir de l'esprit humain*; ex genuino illo, qui tum τῶ: år icke Svecorum tum τῶ: ist nicht Tuiscorum subest, significato, non omnino nihil lucrari nobis videtur subsidii ad suam confirmandam sententiam BARDILIUS ita disputans: "In dem *Er ist nicht* u. s. w. wird man sagen, ist ja die Negation doch zur Kopula gezogen; denn wo sonst damit hin? — Ich bitte um kleine Gedult, und erinnere vorläufig, sich bloß an das Deutsche: *Er ist nicht*: zu halten, woran die Setzung eines Etwas eben dadurch, daß man seine bloße izzige Abwesenheit bezeichnet, auffallender seyn dürfte, als an dem *non est*." L. c. p. 12.

§. 3.

Ex iis, quæ jam disputavimus, manifestum est: in quovis judicio indivulso cohærentem nexu duplicem inesse vim, unam affirmandi, negandi alteram, quarum illa in constituendo vero, hæc in rejiciendo falso cernitur, atque hoc tantum nomine differre propositiones affirmativas a negativis, quod in illis directa promineat veri positio, indirectam involvens falsi redargutionem, in his autem indirectus sit veri respectus præjacentem falsitatis rejectione. Quibus sic constitutis plenior nos conciliaturos legentium assensionem confidimus, si per tria eundo judiciorum genera, categoricum puta, hypotheticum & disjunctivum, quæ sit in unoquoque eorum vis & applicatio, fusius exponamus.

Fiat vero initium a categorico, cujus singulas species, si infinitas appelles, in quibus prædicatum afficitur negandi particula, ceteras vero finitas, sequens exhibet schema:

Judicia categorica:	Finita:	Infinita:
Singularia:		
Affirmativa:	<i>C est B</i>	<i>C est non - B</i>
Negativa:	<i>C non est B</i>	<i>C non est non - B</i>
Universalia:		
Affirmativa:	<i>O.C est B</i>	<i>O.C est non - B</i>
Negativa:	<i>N.C est B</i>	<i>N.C est non - B</i>
Particularia:		
Affirmativa:	<i>Q.C est B</i>	<i>Q.C est non - B</i>
Negativa:	<i>Q.C non est B</i>	<i>Q.C non est non - B</i>

Circa hoc partiendi schema sequentia sunt observanda:

1:0 Formulas sive finite sive infinite affirmativas, præter directam sive $\tau\tilde{z} B$ sive $\tau\tilde{z} non-B$ positionem, oppositæ determinationis involvere rejectionem. Quippe posito, quod C sit B , vi principii, quod dicitur, *exclusi medii inter infinite opposita* negetur, necesse est, veritas $\tau\tilde{z}: C est non-B$, pariterque, si ponatur, vel $\tau_0: O.C est B$, vel $\tau_0 Q.C est B$, adparet in illo casu $\tau_0: Q.C est non-B$, in hoc autem $\tau_0: O.C est non-B$, in falsitatis crimen incurrere. Vicissim quoque, admisa veritate cujuscunque formularum, positionem $\tau\tilde{z} non-B$ adleverantium, infinite eidem opposita assercio finiti prædicati pro falsa non protest non haberi.

2:0 Formulas negativæ: $C non est B$, $N.C est B$, $Q.C non est B$, directam continere negationem $\tau\tilde{w}: C est B$, $Q.C est B$, $O.C est B$. Etenim, si cogites $C non esse B$, perinde est, ac si dicas falsam esse sententiam, quod C sit B . Præterea, cum *nullum æquipollet $\tau\tilde{w} non ullum$* , est in propatulo, formulam, *nullum $C est B$* , tollere veritatem assercionis particulariter affirmativæ: *quoddam $C est B$* . Neque minus est perspicuum, particulariter negativam: *quoddam $C non est B$* , detrahere veritati universaliter affirmantis: *Omne $C est P$* .

3:0 Hinc, cum negari nequeat finite affirmativa propositio, nisi admisa veritate eidem oppositæ infinite affirmativæ, facillime colligi posse, in formulis finite negativis: $C non est B$, $N.C est B$, $Q.C non est B$, indirectam occurrere positionem infinite affirmativarum: $C est non-B$, $O.C est non-B$, $Q.C est non-B$.

4:0 Similibus concludi rationibus, formulas: $C non est non B$, $N.C est non-B$, $Q.C non est non-B$, proxime quidem & immediate in rejectione sententiarum formulis infinite affirmantibus $C est non-B$, $Q.C est non-B$,
N.C

N. C est non - B expressarum versari, attamen indirectam in recessu habere positionem $\tau\tilde{s}$ *B* formulis *C est B*, *O. C est B*, *Q. C est B* comprehensam.

5:0 Quia in directo cogitandi negotio illud prius est, quid verum sit, hoc posterius, quid non verum, definire; id esse in cogitandi arte elegantiae caput, ut suffectis in locum finite negantium:

C non est B, *N. C est B*, *Q. C non est B*,
infinite affirmantibus:

C est non - B, *O. C est non - B*, *Q. C est non - B*,
pariterque in locum infinite negantium:

C non est non - B, *N. C est non - B*, *Q. C non est non - B*,
finite affirmativis:

C est B, *O. C est B*, *Q. C est B*,
omnia directa proponantur ratione cogitandi praecepta 1).
B 2 Quo

- 1) Sic e. gr. per datas regulas facillima habetur, eademque directa, modi illius secundae figurae, quem *BAr - Occ - O* appellarunt Scholastici, ad primam reductione, apagogica tantum ratione a KIESZ-WETTER (*l. c. W. A. ad §. 254, pagg. 402, 403*) munita. Praefructis enim praemis:is:

O. P. est M,

Q. S non est M (ex quibus concluditur: *QS non est P*); contraponendo, ut loqui mos est, propositionem majorem, & in locum minoris negativae sufficiendo infinite affirmativam, obtinebitur hic Syllogismus:

O. non - M est non - P,

Q. S est non - M; ergo: *Q. S est non - P*.

Quippe quae conclusio infinite affirmativa idem valet ac negativa haecce: *Q. S non est P*. Neque secus directa succedit reductio $\tau\tilde{s}$ *BOc - Ard - O* inter modos tertiae figurae occurrentis,

Quo pacto & illud a nobis allatum partiendi schema, & quæ ex eo pendent ratiocinandi regulæ *m*), dimidia quasi sui parte minuentur.

§. 4.

Jam vero, an genus judiciorum hypotheticum, eam, de qua agitur, affirmativi & negativi disjunctionem admittat, nobis est disquirendum. Qua in defendenda præcipuus est & fere unicus KIESEWETTER, in repudianda consentiunt plerique ceteri. Est vero tum illius tum horum commune vitium, quod vix sibi consent. Hi nimirum, quod eam, cujus in categorico judicandi genere dederint usum, in hypothetico adhiberi minime posse copulæ negationem statuunt: ille autem, quod aliam in categorica propositione, aliam in hypothetica, usurpat judicii negativi definitionem. Quippe qui, cum in categorico genere negati-

m) Neque hanc unam habet commendationem directa ratiocinandi via, quod succinctiorem reddat disciplinæ compagem. Quippe eam iis quoque liberat nævis, quos vulgari syllogismorum doctrinæ ingenuit formæ affirmativæ & negativæ disparilitas. Ex quibus, ceteros ut taceamus, nominasse sufficere erroneum istum *καυονα*: *Ex præmissis duabus, quarum utraque sit negativa, nihil concludi posse, eujus falsitatem vel sequens probat concludendi modi, ab artis magistris prorsus neglecti, ad tertiam figuram pertinentis, exemplum:*

N. M est P

Q. M non est S; ergo Q. non - S est non - P.

Quam valere concludendi rationem ita demonstramus. Pro negativa: *N. M est P*, ponatur infinite affirmativa *O. M est non - P*, nec non pro: *Q. M non est S*, huic æquipollens: *Q. M est non - S*, quæ convertendo mutatur in hanc: *Q. non S est M*. Unde hæc exurgit, primæ subjecta figuræ, syllogismi forma:

O. M est non - P,

Q. non - S est M; ergo; Q. non - S est non - P.

tivam ab infinita propositione ita distinxisset, ut in illa ad copulam, in hac vero ad prædicatum referri negationem arbitraretur *n*), hypotheticam propositionem vel affirmativam esse vel negativam, prout terminus posterior vel affirmativus fuerit vel negativus, constitutum sibi habet *o*). Hoc vero discrimen judicandi formam non tangere, facile est perspectu. Sive enim illud cogites: Si pluit, madescit humus, sive hoc: Si est deditus virtuti Cajus, non mentitur; nihil differt in forma, cum in utroque casu, adesse consequentis cum antecedente connexionem, sit in propatulo. Quippe hæc differentia, qua, utrum mentiatur Cajus, an non mentiatur, discernitur, omnino pendet ex termino posteriori, quem haud secus atque terminum priorem ad materiam pertinere iudicii hypothetici ipse confitetur KIESEWETTER *p*). Quamobrem, aut nullam esse hy-

n) Cfr not. *b*.

o) Hunc in modum disferens: "Die Qualität eines hypothetischen Urtheils hängt von dem Setzen oder Nichtsetzen der Folge ab (*l. c. §. 121. Anmerk. 2. pag. 60*). Der Qualität nach können die hypothetischen Urtheile *bejahend* und *verneinend* seyn. Man nennt diejenige bejahend, deren Nachsatz ein bejahendes, und diejenige verneinend, deren Nachsatz ein verneinendes Urtheil ist. So ist das Urtheil: Wenn es regnet, so wird es nafs, bejahend, und das Urtheil: Wenn Cajus tugendhaft ist, so lügt er nicht, *verneinend* (*W. A. ad eandem §. pag. 198*)."

p) *L. c. ubi §. 97 (pag. 49) hæc habet*: "Die durch das Urtheil verbundene Vorstellungen sind die *Materie* des Urtheils, ihre Verbindung die *Form* derselben;" *nec non §. 110. (pag. 55)*: "Die Vorstellung der Verknüpfung in einem hypothetischen Urtheile heisst die *Consequenz*, und wird im Deutschen durch *wenn-so* angezeigt; sie macht die *Form* des hypothetischen Urtheils, *Vordersatz* und *Nachsatz* die *Materie* desselben," *denique §. 121. Anmerk. 1. (pagg. 59, 60)*: "Um diesen §. zu verstehen, muß

hypotheticam negandi formam, concedat necesse est, aut eam in *negatione consequentiae* contineri. Unde, si terminus iudicii hypothetici prior compendii gratia dicatur α , posterior β , duæ tantum exurgunt formæ: *Si est* (vera scilicet propositio) α ; *sequitur, ut sit* (pariter vera propositio) β ; *Si est* α , *non sequitur, ut sit* β . Quarum illa utique est affirmativa, hæc negativa saltim speciem habet. Tertia enim illa species, quam pro negativa habet KIESEWETTER, hujusce formæ: *Si est* α ; *sequitur, ut non sit* (vera scilicet propositio) β , huic æquipollet affirmativæ: *Si est* α ; *sequitur, ut sit non* β , designante *non*- β eam propositionem, cujus affirmatio est infinite s. contradictorie opposita positioni β . Restat igitur, ut, quæ sit vis formulæ: *Si est* α , *non sequitur, ut sit* β , accuratius definiatur.

Quod in §. præcedenti ostensum est, in propositione categorica negativa duplicem in se, immediatum nimirum & quasi præjacentem negandi, mediatam vero & in recessu positam affirmandi vim, id quoque de hac valet forma. Etenim quemadmodum is, qui iudicat, *nullum triangulum esse quadratum*, contradictorie oppositarum propositionum affirmativarum: *Q. triangulum est quadratum*, *O. triangulum est non-quadratum* eum habet delectum, ut illam rejiciat, hanc vero approbet, ita quoque si cogites: *Si pluat, non sequi, ut madescat humus*, idem obvenit rejectanei verique discrimen. Quippe in hoc exemplo rejectaneam ponas necesse est propositionem

man nicht vergessen, daß die reine allgemeine Logik bey den hypothetischen Urtheilen nicht auf die darin verbundenen kategorischen Urtheile sieht, denn die machen die Materie des Urtheils aus, sondern daß sie nur auf die Art der Verbindung derselben zu einem Urtheile Rücksicht nimmt."

nem illam hypotheticam: *Si pluit, sequitur, ut madescat humus*, veramque illius contradictoriam infinite affirmativam: *Si pluit, fieri (subinde saltim) potest, ut non madescat humus*, qua adseveratur adeo esse consentanea hæc duo: *pluere, non madescere humum*, ut, posita utracunque, simul quoque (subinde saltim) altera possit admitti. Quod si quis objiciat, vagam esse nec omnino definitam in hac propositione: *Si pluat, consentaneum est, ut non madescat humus*, affirmandi potestatem, cum non liqueat, utrum, incidente pluviali tempestate, subinde madescere subinde non madescere humum, an constanter non madescere cogites, nihil omnino est, quod labores. Quæ enim adest, utcunque vaga, rei cujusvis descriptio, eam non adesse nullamve esse nemo utique dixerit, nisi qui sibi constare prorsus nesciat. Unde, quisquis judicet, exinde, quod *pluat*, minime sequi, ut *madescat humus*, hanc tueatur, necesse est, affirmativam: *Si pluat, subinde saltim evenire, ut madescat humus*, etiamsi, utrum *subinde tantum*, an *constanter*, id ipsum eveniat, definire vel se non posse vel sibi non esse curæ arbitretur. Neque secus in hac propositione, quam in categorica particulariter affirmativa, definitum ab indefinito distinguimus. Quippe pariter omnino, si ponatur *Q, C esse B*, id saltim constat, *quoddam* (ad minimum unum) *C esse B*: utrum *tantum quoddam* (unumve), an *omne C sit B*, non liquet. Abunde igitur est probatum, eandem in hypothetico ac in categorico judicandi genere valere negandi potestatem, eamque *relativam, b. e.* ita constitutam, ut indirectam contineat in recessu collocatæ determinationis positivæ confessionem.

§. 5.

In judiciis disjunctivis nullam esse negandi potestatem, tum ii contendunt, qui eam in hypotheticis admittere

mitti posse negarunt, tum ipse quoque KIESEWETTER. Cujus hanc spectantia materiam exscripsisse juvabit verba: "Der Qualität nach sind sie (Die disjunktiven Urtheile) bejahend, denn die Sphäre des gegebenen Begriffs wird in Theile getheilt, und das disjunktive Urtheil sagt aus: das das Subjekt zu einem dieser Theile geböre. Wenn ich sage: die Menschen sind entweder weiß oder schwarz, oder gelb, oder kupferfarben, so wird der Begriff: Farbe der Menschen, in die vier genannten Theile getheilt, und gesagt: jeder Mensch müsse zu einem dieser Theile gehören" *q*). Ita nimirum disserit, quasi ista quatuor colorum disjunctio absolutam inducat affirmandi necessitatem. Quæ vero esse potest unius horum affirmatio, nisi quæ cum negatione trium reliquorum indivulso cohæret nexu? nulla omnino, siquidem genuina est ipsa hæc quatuor colorum disjunctio. Sed vero huic immorari non vacat reprehensioni, quæ si ad præsentem, quam minime tangit *r*), quæstionem referatur, levisissimi est ponderis. Nempe, an copulam judicii disjunctivi afficere possit & variare negatio, ea ipsa est illa, quæ jam nobis obvenit, quæstio: quippe quam, in suo de *qualitate* judiciorum loco, silentio prætervehitur KIESEWETTER, hanc forsitan desperans veniam (nimirum post innovatam a semet in genere hypothetico propositionis *negativæ* definitionem), ut tertio propriam generi tertiam conderet judicii negativæ descriptionem. Consentaneum enim fuisset ipsi, qui negationem copulæ admisisset, si quidem tria ponit judiciorum genera, totidem ad-

q) L. c. W. A. ad §. 122 (pag. 200).

r) Præjacere in disjunctiva forma; *A est aut B aut C* affirmandi vim, ita est in confesso, ut id ipsum demonstrare non minus sit supervacaneum, quam de eo laborare, ut affirmativam esse propositionem categoricam hujusce formæ; *A est B* evincatur,

adoptare negandi formas: *non est, non sequitur, non est aut hoc aut non hoc*; quarum una categoricam: *Est*, altera hypotheticam *consequentiae*, tertia denique disjunctivam *et*: *aut hoc aut non hoc* tollat copulam. Nullius generis non sunt in promptu exempla, categorici videlicet: *A non est B, N. A est B, Q. A non est B*; hypothetici: *Si est α , non sequitur, ut sit β* ; denique disjunctivi: *A non est aut B aut C*. Quarum formarum *istas* & negativas esse, & contradictorie oppositas affirmativis: *A est B, Q. A est B, O. A est B s)*, *illam* affirmativæ hypotheticæ: *Si est α , sequitur, ut sit β , hanc* denique disjunctivæ: *A est aut B aut C* contradictorie oppositam esse *t)* recte docet KIRSEWETTER, in eo tantum inconstantiae crimen incurrere nobis visus, quod, quamvis contradictorie oppositam judicio hypothetico eam appellet propositionem, quæ consequentiam tollat, disjunctivo vero eam, quæ disjunctionem neget *u)*, attamen doctrinam de qualitate judicii hypothetici & disjunctivi ita adornaverit, ut neque illi: *Si est α , non sequitur ut sit β* , neque huic: *A non est aut B aut C*, quem sibi

C

vin-

s) Cfr *l. c. W. A.* ad §. 141. (pag. 239) nec non not. b.

t) *L. c. W. A.* ad §. 142. ubi pagg. 243, 244 ita: "Die Form eines hypothetischen Urtheils besteht in der Consequenz, ihm ist also *kontradiktorisch entgegengesetzt* ein Urtheil, was diese *Consequenz aufhebt*; z. B.: Wenn es regnet, so wird es nass; und: Wenn es gleich regnet, so folgt doch nicht, das es nass wird; nec non pagg. 246, 247. sic: "Da die Form eines disjunktiven Urtheils auf die Disjunktion beruht, so ist einem disjunktiven Urtheile dasjenige entgegengesetzt, was die *Disjunktion leugnet*, z. B.: Cajus ist entweder weifs, oder gelb, oder kupferfarben, und: Cajus ist nicht entweder weifs, oder gelb, oder kupferfarben (weil er auch schwarz sein kann)."

u) Cfr not. præced. t.

vindicent inter propositiones negativas, adsignare queat locum. Quare, cum illius in §. præcedenti constituta sit natura, hujus ut definiatur vel affirmandi vel negandi potestas, tantummodo restat.

Primo igitur observandum, ut in omni propositione negativa, ita in hac: *A non est aut B aut C*, vim negandi præjacere. Quippe in rejectione disjunctivæ: *A est aut B aut C* proxime versatur *v*). Quid vero est rejectaneum illud? Formane an materia disjunctionis? Si forma, verum non est, quod sit *A aut hoc aut non hoc*. Quo pacto omnis tollitur veræ disjunctionis potestas. Rejectanea igitur est materia. Hinc, si concedas, quod neminem negaturum putamus, exponi posse materiam propositionis disjunctivæ: *A est aut B aut C* per duas hasce hypotheticas: *Si A est B, sequitur, ut A sit non C; si A est non B, sequitur, ut A sit C*; quam hæ ipsæ ita exhauriunt, ut neque genuina esse possit disjunctiva illa, nisi harum utraque pariter sit genuina, neque rejectanea, nisi alterutra saltem harum rejectanea ponatur; primum est ad concludendum, quicumque in rejectaneis ponat disjunctivam, ei quoque rejiciendam esse saltem alterutram hypotheticarum materiam disjunctivæ componentium. Unde consequitur, in propositione: *A non est aut B aut C*, id proxime spectari, quod rejectanea sit saltem alterutra τῶν: *Si A est B, sequitur, ut A sit non C; Si A est non B, sequitur, ut A sit C*.

Jam

-
- v*) Minime est verendum, id nobis vitio versum iri, quod dichotomicæ tantummodo disjunctionis respiciat negationem nostra disquisitio, præsertim cum & dichotomicam esse omnem disjunctionem mere formalem concedant omnes, & reliquæ (infinite scil. numero), disjunctionis species generalibus subjæctæ sint præceptis ex forma dichotomica evolvendis.

Jam vero, quam habeat in recessu collocatam affirmandi potestatem judicandi forma *A non est aut B aut C*, haud difficulter perspicitur. Nempe cum, vi hypotheleos, rejectanea sit alterutra saltem harum: *Si A est B, sequitur, ut A sit non-C*; *Si A est non-B, sequitur, ut A sit C*; ideoque vera saltem alterutra negativarum: *Si A est B, non sequitur ut A sit non-C*; *Si A est non-B, non sequitur, ut A sit C*; quarum utraque sub forma in proxime praecedenti §. 4. constituta: *Si est α , non sequitur, ut sit β* comprehenditur; consequitur, contradictorie oppositas affirmativas: *Si A est B, fieri potest, ut simul sit C*; *Si A est non-B, fieri potest, ut simul sit non-C*; ita esse comparatas, ut earum vel utraque vel saltem alterutra non possit non esse vera. Harum igitur vel utramque vel alterutram saltem habebit affirmare, quicumque, hunc in modum judicans: *A non est aut B aut C*, negaverit disjunctivam: *A est aut B aut C*. Cujus adferri confirmabunt fidem coronidis loco apposita exempla.

Exempl. 1. Quadratum (A) non est aut quadrilaterum (B) aut aequilaterum (C). Quo in casu adest rejectio disjunctivæ: Quadratum est aut quadrilaterum aut aequilaterum, ex respectu affirmativæ veræ: Si Quadratum (A) est quadrilaterum (B), fieri potest, ut simul sit aequilaterum (C) oriunda. Valet igitur in hoc exemplo illud: Si A est B, fieri potest, ut simul sit C.

Exempl. 2. Figura rectilinea (A) non est aut trilatera (B) aut quadrilatera (C). Rejectanea est disjunctiva hæcce: Figura rectilinea est aut trilatera aut quadrilatera eam ob causam, quod dabilis sit figura rectilinea, quæ sit & non-trilatera & non quadrilatera, h. e. quod fieri possit, ut sit A & non-B & simul non-C.

Exempl. 3.

*Exempl. 3. Parallelogrammum (A), non est aut æquila-
terum (B) aut æquiangulum (C) Quo in exemplo duplex
adeft ratio rejiciendæ disjunctivæ hujusce: Parallelogram-
mum est aut æquilaterum aut æquiangulum. Una nimirum
quod quædam parallelogramma sint & æquilatera & æqui-
angula (fieri potest, ut A fit B simulque C). Altera quod
quædam parallelogramma sint non æquilatera simulque
non æquiangula (fieri potest, ut A fit non-B simulque
non-C). Valet igitur in hoc casu & illud: Si A est B,
fieri potest, ut simul sit C; & hoc: Si A est non-B, fieri
potest, ut simul sit non-C.*

